ORATIO PETRI PERONDINI

HABITA AD POPVLVM PRATENSEM IN FVNERE ILLVST. D. ELEONORAE COSMI Medicis Florentiæ, & Senarum Ducis coniugis. Tertio Kalend. Ianuarii. M D LXII.



Florentiæ apud L. Torrentinum.
M D LXIII.

REVERENDISSIMO ANTISTITI PRATENSI PETRO Francifco Riccio Petrus Perondinus Sal.

INTERCAPEDO, quam hactenus feci Antiftes Reuerendiffime ad te orationem hanc meam mittendi à me nuper habitam in funere Illuftr. D. ELEONORAE Toletanæ Medicis, quã humaniffimè in literis tuis pleniffimis officij ac beneuolentiæ efflagitas; iufta, atquè idonea apud te excufatione digna videri poterit, ea potiffimùm de caufa. Nam cur orationem duarum tantum noctium celeri, ac præcipiti quadam lucubratione vix ruditer inchoatam ad illum miferim, cui propter eximiam authoritatem, multaque ornamenta cum eloquentia coniunctis; nõ nifi ea ingeniorum monumenta politiffimo dicendi genere, multaq; verborum elegantia, atquè arte exaggerata mirificè conueniunt? Cur non me deterruerit rei ipfius magnitudo tam exiliter, ac ieunè pertractata, quæ, vel exercitatiffimum quemque, diuque verfatum in rethorum officinis, terrere facilè poffent? Et quid tandem inpublicum prodire non reformidarim eam ipfam inani, vel inepta æmulatione Petri Victorij viri vndequaque difertiffimi, ac eloquẽtiffimi; aut aliorum, qui in ifta ciuitate florentiffima, ac feraciffima politorum ingeniorum illuftrium maximè virorum exequias pro concione laudare admirabili dicendi copia confueuere? Cæterùm vt cumq; res habeat, fatius duxi non obfcuram nominis fugillationem fubijffe quam tuis leniffimis, & humaniffimis poftulatis, non obfequium atquè obedientiam præftitiffe. Tuæ igitur amplitudinis, atquè humanitatis erit orationem ipfam vnà cùm excufatione accipere; quæ fortè fe ipfa minus infelix apparebit tui patrocinij munita præfidio. Quam fi non ftylo, neruoq; vllo eloquentiæ faltẽ ipfa fubiecta materie ad laudes tãtę mulieris exprimendas fpectante, tibi gratam futurum arbitror. Vale.

ARBITROR ego vos Sacerdotes religiosissimi, vosq; magistratus ac ciues honestissimi non inmeritò mirari posse quid sit, quod cùm tot municipes mei hic tàm lugubris, ac flebiliter pullati fani subsellijs sedeant; ego potissimum surrexerim, is, qui nequè ingenio, nequè doctrina, nequè dicendi artis exercitatione (vt potè quem multis ab hinc annis rei familiaris curæ implicationes, medicinæq; studium, ac labor eius assiduus longæ artis ab huiusmodi amœnioribus, & cultioribus literis reuocauit) cùm his, quos videtis adesse, mira ingenij vbertate, atquè facundia pollentes sim comparandus. Id non audaciæ, præcipitiiq; impudentiæ, aut gloriolæ, vel laudis cuiusdam cupiditati, à quibus nihil non semper abhorrui tribuendum putetis; quinimò potius pro vestra incredibili sapientia, & fide id ipsum totum in naturæ meæ lenitatem quandam, quæ nihil decora honèstaq; imperantibus, vel ad non dubiam existimationis iacturam, temeritatisque suspitionem vnquàm reluctare consueuit; reiectum scitote; Impulit enim me ad hoc iàm graue, tamq; formidandum munus obeundum cùm rei ipsius magnitudine, tùm funesti maximè argumenti recordatione, qua vix à lachrymis temperem; Octouiratus oppidi nostri magistratus insignis authoritas, piaq; ac officiosa petitio, quas pro virili mea, aut aspernari, aut negligere nefas existimaram; Est ergo mihi horum piè, sancteq; conceptis votis obedienter eundum obuiam, & vobis nobilissimi ciues, quos verba mea attentè audire prospicio, satisfaciendum,

non ea qua non valeo multo ingenij lumen lita eloquentia, sed ea qua possum rudi, seu potius inchoata narratione balbuties; Siquid igitur à me indicendo prætermissum audietis; in multis nempè me lapsurum esse haud inficias ierim, inscitia, ac vehementi quodam animi angore. quæ ad explicandum mærorem, maximoperè videntur pertinere, quo iam planè vos ciues consternatos intueor, qui me pariter confectum, & illi subcumbentem cernitis; atquè ad recensendum laudes Illustrissimæ, ac Nobilissimæ fœminæ ELEONORAE *Florentiæ Principis; ac nostri dominæ clementissimæ, nostro ingenti malo, immaturo, atq; inopinato fato surreptæ, bona cùm venia apud vos ciues insigni pietate, atq; officio præditos omni culpa cariturum esse confido, vel ex eo præsertim cùm animo reputabitis tanti oneris personam mihi impositam fuisse: qua tàm exiguo temporis interuallo orationem hanc meam exire, atquè in vulgus emanare permisi. Ad quam meditandam vix bidui spatium nactus, vt memoriter pronuntiari posset sicuti res, atq; præsens occasio videbatur postulare, ac vt aliquid vestra expectatione dignum proferri, nequaquam à vacillante memoria præstari potuit.*

Uenit mihi in mentem Patres optimi. Philippus ille Macedonum Rex Alexandri magni pater non minus consilio, exactaq; prudentia, quàm armis & diuitijs potens; qui animaduersa vti rerum experiens fortunæ instabilitate, ac perspectis consideratè rerum vicibus humanarum quàm breues, & mutabiles semper esse consuerunt sublatis in cælum manibus Deam *illam ipsam orauit, vt mediocri aliquo detrimento res suas nimium florentes & prosperas compensaret: Huius nunc ipsius*

res

res secundas belli, & pacis tempore, si cùm COSMI *nostri inuictissimi Ducis felicissimè rebus gestis comparamus (modò iniusti ei doloris calamitas facessat) aut ipsis aequatas, aut fortè secundiores reperiemus, quod si examinatissimè perpenderimus instabilis, atquè maximè inuidentis humanis felicitatibus Deae iniurias, & insolentias, quibus nos mortales saepenumerò afficere, & lacessere consueuit longè immanius, insolentiusquè puncto temporis tribus teterrimis illatis plagis, furibunda mēte in optimum Principem, ac ea indignū calamitate grandi nostra iactura fuisse debacchatam, grauiq; cùm dolore facile sentiemus. Ecquis vestrum Patres religiosissimi non dolenter Principis, grauateq; sui meritissimi calamitatem tulerit, & defleuerit? Quem vestrum afflictè eius domestico malo non ad misericordiam res allicient? quae vel praeduris cautibus et ferarum immitium diritati lachrymas excire potuissent. Horret animus recensere, atquè nondùm absterfi doloris veluti refricata memoria ex recentibus plagis ereptorum nuper liberorum enumerare contumelias, quibus illa insolens, & nusquam fida, haud satis abundè saturata; accumulatis rediuiuis odij iurgijs, hoc tanto, postremoq; inflicto vulnere interitu* ELEONORAE *eius adamatae, & lectissimae coniugis in ipsum saeuae suae temulentiae, atq; iracundiae virus effuderit. Odirum, atq; inexorabile fatum quod cuncta obuia prosternendo nemini parcendū statuit, adeò conseriè, cōtexteq; immutabili necessitate, atq; inenodabili nexu singulos quosque mortales agere, et vincere solet; nec est qui possit inculcare. O fortunam saepè iam, & saepe nimis petulantem, & oculis ad insidias excidiumq; humani generis captam. An nescis regum, & principum summorum no-*

men magnum, & ſanctum ex antiquorum monumentis eſſe? ac eos in terris à Dijs immortalibus datos, vt diſcant homines demiſsiſsimo animo, tanquàm numinum ſimulachra illos reuerenter colere, ac omnibus affectos honoribus venerabundi ſuſpicere, atquè intueri? quod ſinè reſpectu tanti nominis nihil reliqui feceris truculentiæ tuæ, vt tanta coniuge, tantum principem continuò orbatum, & nos miſeros vnica ſpe deſtitutos in ſquallore, & ærumnis verſari contumelioſa patereris. De cuius longè omnium clariſsimæ mulieris laudibus, de quibus cùm facilius ſit principium, quàm exitum inuenire, tantum ſolatij animi, alleuandiq; mæroris cauſa pauca dicenda aggredior, vt animus ſcilicet tam graui dolore, moleſtiaq;, quibus hactenus tenebatur oppreſſus, paulùlum reſpirans, in his tanquàm amæniora, & iucundiora diuerticula nactus perblandè oberrans, & diuagans foueri recreariq; poſsit. Hæc igitur quo ad natalium ſplendorem attinet ab illuſtri maximè Toletana proſapia genus ſuum duxit; In Hiſpania peruetuſta: ex qua tanquàm ex equo Troiano per multi, & quidem magnanimi Heroes prodiere; inter quos magnoperè emicuiſſe patet Federicum Albanum regulum, qui propter edita Betico, & Cantabrico bello magna facinora, ingentem ſibi gloriam, & claritudinem comparauit. Secundum hunc, vt omnes noſtis ipſius nepos eiuſdemq; Albæ Princeps Ferdinandus, qui nunc viuens omnium ſuæ ætatis ducum ex præclaris bello factis memoriam ſuperauit, quem, Carolus Quintus Cæſar vſq; adeo admiratus fuerat, vt præ cunctis legeret, ac totius exercitus præfectura inſigni iudicio teterrimo illo, & periculoſo Germanico bello honeſtandum cenſeret; cui propter editum non ſemel inuictæ virtutis ſpecimen

men

men capto scilicet ad Albim Saxonum Principe, atq; fusis, & profligatis Langrauij copijs, Cæsar repudiatis honoribus & festis militum acclamationibus, qui de tanto hoste partam victoriam ipsi certatim gratulatum occurrebant, id totum laudis deferri, & impartiri iussit. Quid Petrum ELEONORAE *patrem subticeam? cui idem Cæsar tantum tribuit, vt eum semper parentis loco haberet, ipsumq; mirandum in modum suspiceret, atq; subleuaret; quemq; ob præcipua merita, ac insigniũ virtutum concursum, honoribus amplissimis, & diuitijs decorandum, & locupletandum putaret; attributa ipsi, quo ad viueret totius Neapolitani opulentissimi regni moderatione, ac præpositura. Et cui non innotuit Garziæ iuuenis proregis istius filij, ac* ELEONORAE *germani fratris animi magnitudo, & alacritas; non nisi alta cogitantis, & his quibus nihil non adoreæ laudis, & decoris parari solet æmulatione maiorum flagranter inhiantis? At quid diutius in his euagatur oratio mea? non satis, satisq; intelligi potest ad patefaciendum singulis quibusq;* ELEONORAM *omnibus fuisse præditam ornamentis; fuisse connubio collocatam potentissimo Etruriæ regnatori, & Medicea, ac Italicæ gentis columi: grauissimo, ac generoso Caroli Cæsaris consilio, & testimonio, qui, aspectatissima, decoraue honorata* ELEONORAE *forma, vnà cùm sanctissimis moribus, & pudicitia sempiterno laudis præconio, cunctis sæculis celebranda, mira quadam temperatione coniuncta dignam existimauit non secus ac anteà filiæ suæ Margaritæ obtigerat, vt, æquato fermè honore, pariq; dilectionis gradu, maturatis nuptijs, Medicea domui insereretur, ac* COSMI *felicissimi auspicatò (quod ei maiora tribuere*

non poterat) toro iungeretur, & cum ipso florentissimo Etruriæ principatu potiretur. Cuius tantus erga coniugem amor fidesq; extitit, vt, quanquàm infirma valetudine, imbecillisq; corporis viribus esset, aucupijs tamen, & venationibus continuò inten tum perdeuia, & aspera, per abruptas montium crepidines, per saltus, & nemora indomitis, ac metuendis feris scatentia, abiecto omni periculorum metu, contemptaq; passim sanitatis suauitate noua, & celebris erga virum fidei, & castimoniæ Hypsicratea Ponti reginæ decora æmulatione fideli obsequio, et constantia sequeretur, atquè indomitàm prorsus, et inexpugna bilem aduersus cuiuscunque voluptatis lenocinia, & blandimenta, quæ, vel nullam ferè pudori notam inurere potuissent, se ab ineunte pueritia, vsq; in id temporis curriculum præstitisset; nihil aliud pudenter coquens, animoq; volutans, quam quod erga superos pietatem in coniugem amorē, in liberos charitatem respiceret. Propterquam animi probitatem, corporisq; pulchritudinem, imò potius propter vtrasque, commotus optimus vir eius COSMVS omnium virtutum grauissimus extimator pari amoris, & beneuolentiæ vicissitudine ipsam fuerat prosecutus, vsq; eò, vt perspectis tanquàm in cumulum con gestis vxoris virtutibus, & quos supra fœminæ captum spiritus gereret, consilioq; vigeret, intuitus omnium pectoris sui arcanorum, consiliorum non minus quàm tori, & mensæ partici pem effecerat, quod non multis abhinc annis, luce clarius vide ri potuit, quùm diutino, & periculoso Senarum bello implicitus suos omnes intimos mentis recessus, & occultissimos animi sensus confestim reseraret, ac cùm ipsa solus de grauissimis rebus, remotis arbitris, consultaret, & lubet hoc loco planum

facere

facere pro insigni rerum argumento quam prudens, quamq́ ex ipsis rerum successibus ab optima ratione, & fide fuerit consilium profectum, quod ipsa dedit contrà quorūdam togatorum, & iurisconsultorum consultationes, qui secretò à principe fuerant accersiti, vt de decernendo Senensi bello sententias ferrent. Quæ, cùm illic interfuisset ità grauiter contrà omnium sententias disseruit, ac sapienter quorum mentem alienam extitisse ab inferendo bello cognouerat; vt COSMVS, *qui ab inueterata prudentia, iudicioq́ cunctis, quæ sibi vsui fore eo suscipiendo bello arbitrabatur, prouiderat* ELEONORAE *consilium vti salubrius, & ipsi decorius tacitus comprobaret; ac magis ipsius proposito, decretòuè arridens persequendum putaret. Quapropter, vt, ipsa bellissimè consultando perfici maturè persuadebat,* COSMVS *exequendum statuit inchoato scilicet in Gallos salubriter bello, ac fœlicissimè confecto. Neq́ hoc in loco à me indicendo prætereundum est egregium eius factum, & memorabile, quod singulis regibus, & principibus documento esse possit, qui nam redimendæ sint Ducum volunta tes contumacius pecuniam efflagitantium, atq́ in officio, & fide per sequestram liberalitatem retinendæ: dum maximè eorū opera indigemus. Exardente quippè Senensi bello ità animum Imperatoris exercitus mitigauit, redemitq́ alioquì per se elatum, ac pecuniæ auidum, vt de suo ex Colyto repræsentata ingenti aureorum numûm summa à solita obtunda castrēsia mu nera, iam discessionem cogitantem, & castra deserere properantem redire compelleret. Ex quibus, non multò post effectum est, vt, cùm prosperos, optatosq́ subsortiti essent euentus plura sapientissimo consilio, quam equestribus, & pedestribus*

copijs,

copijs, & armatis exercitibus septus, quisquam alius imperator inuicem confecisse nisi fuerint. In hac ELEONORAM, cum Neapoli adhuc puellula paternis in domibus educaretur, & optimis moribus informaretur, Augustinus Nyphus à Sinuessa percelebris philosophus, itemq; syderalis sciẽtiæ peritissimus, ac physiognomon solertissimus, coniectis oculis, quasi ex vultu, frontisque, & oculorum inspectione, itidemq; à certa, mirificaq;, quam præseferre videbatur indolem alicuius magni, & augustissimi principis futuram coniugem, & dominam potentissimam auguratus; in tantam venit admirationem, vt, id ætatis fœmellam venerabundus adiret, ac tanquàm numen reuerentissimæ dedicatis ei non nullis in philosophiã cõmẽtarijs suspiciendam, & colendam censeret. Huic non dissimile, quippiam euenisse accepimus Theogeni mathematico, qui inspecta Octauiani Augusti pueri genitura, stupenti simul, & mirabundo similis, ipsum protinus adorauit. Cæterùm, præter istas à nobis recitatas modò virtutes, & quæ multò maiores, & innumerabiliores recenseri potuissent, si parem ipsarum præconem inuenisset, à sui in terris peremnem gloriam. Quis est, qui nedum verbis, atq; oratione explicare, sed animo cõplecti valeat, in Deum, & Diuos ipsos religionem, & pietatem, atq; in egenos, & pauperes liberalitatem, & misericordiam? quibus operibus, & actionibus tritum sibi iter in Cœlum strauit, & ad superos sibi aditum patefecit & permuniuit. Testantur id per multa cucullatorum cænobia sacerdotum vel vetustate collapsa, vel prædura egestatis causa derelicta suis sumptibus restituta, & profusa manu adiutos fuisse sacerdotes, vt ab illis pristinus Deo cultus, peragendis sacris quotidiè redderetur.

Quot

Quot misellos pauperes, et nubiles puellas omni humana ope destitutas ex calamitate ad certam subsidij spem subleuauit? atq; erogata passim egentibus stipe, vt nuberent ab imminenti eas periculo virginitatis polluendæ tempestiuè submouit? afflictos erexit, perditos recreauit, multaq; sacrarum Virginum septa rebus suis diffidentium ob paupertatem confirmauit, & omni rerum copia sustentauit. Atq; vt tandem apud omne aulicum famulitium in remunerando seruitij sedulitatem, ac studium cumulatè gratissimi animi memoriam, & dominis erga seruos de se benemeritos vltimum pietatis officij exemplum relinqueret, testamentũ fecit integerrimis sensibus, quò, singulos quosq; curiales pro meritis, & dignitate prosecuta est, per amplis redditibus, mirumq; in modùm diuitijs auxit, & opulentos reddidit; Cosmetis verò, & ancillis omnibus pro rata portione dotem legauit, vt, habita pudoris earum magnoperè ratione, nuptui collocarentur. Vestrum est igitur Sacerdotes benignissimi, vt, iam finem dicendi faciam, his tot et tantis ELEONORAE *perceptis, & intellectis operibus ad nunquam sui interituras laudes funeri solemnibus inferijs, iusta persoluere; Nænijsque, de more, decantatis, pro ipsius sanctissima anima Deum maximum omnibus precibus exorare, atq; obtestari, vt sicut in terris, dum in humanis ageret, omnes, quotquot sunt rara felicitate mulieres, & gloria anteiuit, Nunc terrena educta latebra, ac ex corporis compedibus emissa, illuc feratur, atq; ad illum ipsum Deum ei reditus facilis pateat, à quo profecta est; vbi cum liberis suis cœlestibusq; mentibus, trini numinis diuinitatem contemplans, longè feliciore vita, atq; æuo perpetuum perfruatur.* DIXI.

MC